

## I O A N N E S G A L E A C I V S .

## S I V E L I B E R D E C I M V S .



**I**N I O A N N E G A L E A C I O à primis statim pueritiæ initiis, vsq. adeo mira grauitatis atq. prudentiæ species enituit quum in eo supra captum eius ætatis, solertia iudiciũ memoriãq. vigerent, vt eum pleriq. ex ratione physica citissime moriturum crederent neq. vnquã tantas precocis eius ingenii dotes ad opimæ frugis maturitatem peruenturas arbitrarẽtur. Ferunt .n. sicuti in Petrarchæ vita legimus Galeaciũ patrem quum ex consuetudine consiliũ aduocasset, multiq. insignes togati viri in intimũ conclaue admissi confedissent, à puero tũ forte intentis oculis procerum ora atq. habitũ contemplante per iocũ quæsiuisse, quis nam sibi ex eo numero sapientior videretur, tum vero puerũ qui tum erat fere quinquennis suspensio vultu consideratis singulis, demum accessisse ad Petrarcham quem nunquã antea viderat, & blande arrepta toga eum orasse, vt se ad patris sellam sessum perducere pateretur; statimq. magnum cum admiratione omnib. risum obortum quòd puer perspicaci iudicio omniũ longe clarissimũ ea tempe stare Poëtam delegisset. Nec eũ per omnes ætatis gradus summa cura à lectissimis præceptoribus atq. nutriciis educatum, quin in eundem Iudiciorumq. tenorẽ incumberet, natura destituit. à pueritia .n. ad integram ætatem prouectum in tanta actionũ varietate tale semper ingenii specimen edebat, vt eius opinionẽ naturæ præsidio firmatam corroboratamq. multa historiarum lectione, atq. vsu rerum, nemo falleret atq. omnia vel plane fortuita præsentiens cõsilio fortunã regere videretur. Nec id hercle mirũ erat quum inueterata cõsuetudine multũ ipse solus deambulando meditari, cũ peritissimis in omni negotio deliberare, exempla rerũ ex annalib. repetere, instituta maiorũ quæ euentus belli comprobasset, diligenter imitari esset solitus. Nullæ .n. eum voluptates venationis aut aucupii, nõ aleæ ludus, nõ illecebræ muliebres, non sannionũ aut scurrarum fabulæ a negociis auocabant, exercebat corpus modice ad rationem tuendæ valetudinis, animũ remittebat eruditorum colloquiis & frequenti lectione, secretisq. item commentationib. ad iustitiam pietatemq. reuocatis. Conduxerat liberalibus stipendiis omnium disciplinarum professores qui in Gymnasio Ticinensi à patre condito iuuentutem docerent. Bibliothecam porro, erecto iuxta delubro in quo diuorum & martyrum reliquiæ pretiosis distinctæ loculis seruabantur rarissimis codicibus refererat, Ex ordine profitentium Celeberrimi tum fuere, qui monumenta ingenii posteris reliquerunt, in iure ciuili Baldus & duo Raphaelles, Fulgosius atque Comensis, & Segnorolus Amadeus. In philosophia